

I 2 W

1 6 0 5

✓
00/19.

ms. No. 296.

Gesner, Jul. (3^{te} disputaciones)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



327

18



DISPUTATIO ULTIMA,
 præcipuarum controversiarum,
IN CONCILII TRI-
DENTINI PRIMA PARTE
 AGITARVM, ET à Dn. D. CHEMNITIO
 examinarum, succinctam insti-
 tuens ἀνακεφαλαιώσιν:

Cujus theses,
Auspice Christo,

Præside
SALOMONE GESNERO,
 SS. Theologiæ Doctore & Professore publico, in
 privatarum disputationum Theologico
 collegio discutiendas pro-
 ponit

M. CHRISTOPHORVS IORDAN,
VVonsidelius Variscus.

Anno 1602. die 8. Septembris.



WITEBERGÆ,
 Apud VVolfgangum Meißnerum.





REVERENDO ET CLARISS:

VIRO,

Dn. CHRISTOPHORO
SCHLEVPNERO, SS. Theologiæ
Doctori, & Hildesianæ Ecclesiæ Superin-
tendenti vigilantissimo:

NEC NON

REVERENDO ET DOCTISS:

VIRO,

Dn. M. EBERHARTO
PAPIO, Gomeranæ Ecclesiæ Pa-
stori & vicinarum inspectori fi-
delissimo:

*Dominis, fautoribus & amicis suis pluri-
mum honorandis & amandis:*

Honoris & amoris ergo hæc suas the-
ses inscribat:

*M. Christophorus Jordanus,
Respondens.*



T H E S I S I.



Superioribus septendecim disputacionibus, ex Chemnitiani nostri examinis prima parte hucusque habitis, coronidis tandem & indicis instar hanc postremam quoque subungere placuit, in qua circa principaliter indidem agitatae controversias notam Lutheranae ὀρθοδοξίας καὶ μάλιστα in unum scrinium; quam Tridentina ἑτεροδοξίας περιψήματα in unum serquiliunum conjiciemus.

II.

Et sane in PRIMA Disputacione proemiali, auctoris nostri vestigia legentes, ab originibus Iesuiticae factionis paulo altius repetentes, principio ex proprijs horum fraterculorum historicis addidicimus, eorundem paterculum Lojolam ante conversionem scurram procatem, sub conversione hypocritam audacem, in peregrinationibus martyrem ferocem, in studijs enthusiastam precocem, in concionibus Prophetam mendacem, inque novo suo ordine Antichristi satellitem claruisse atrocem.

III.

Simul autem asseruimus, olim conscribendi & nunc repetendi examinis nostri impulsivas causas esse divinae gloriae amplificationem, mandatorum Dei observationem & Ecclesiae intenti periculi magnitudinem, quae penitus postulent, ut anathematismis suis in nos debacchantibus Pontificijs, ex nostro quoque medio prodirent, qui usdem se masculè opponerent: Nihil quippe morati auctoritatem Tridentini Concilij, quam non praeioriam; sed vel planè nullam, vel limitatam & canonicarum scripturarum censura adeò subiectam esse novimus, ut si quid contra eas statuat, nefas id esse ducendum sit.

IV.

In SECUNDA Disput. quarta sessionis frontispicium

A 2

cius

cium discutientes, deprehendimus, quod licet in isto conciliabulo conscripti patres ab invidiosis verbis, quibus antehac scripturas inceserant, non concitanda plebis ergo abstinuerint: praefixa tamen explicita protestatione (de praesidijs nempe, quibus in conformandis dogmatibus & instaurandis moribus usuri essent) certo-canonicas scripturas in suis fontibus semetipsas interpretantes, pro unica fidei & vite norma admittere noluerint.

V.

Propter quod etiam necessitatem, auctoritatem, perspicuitatem & sufficientiam sacri canonis adstructuri, circa veteri testamenti tempora ex archivis prophetica scripturae ipsis monstravimus, quomodo Deus saepe adulteratam & interpolatam viva vocis traditionem antiquando: surrogatam quoque scripturam suis digitis initiando: scriptorumque voluminum in fœderis arcâ custodiam suâ providentiâ propagando, normam & regulam tradiderit, cui nec addendo, nec demendo aliquid, Israëlita religionem suam conformare, vitiatamque reformare necessum habuerint: Thalmudicam autem Rabbiorum cabalam, cum Pontificijs traditionibus pleraque communia habentem, missam prorsus facere debuerint.

VI.

In TERTIA disput. ad novi testamenti tempora pergentes, quandoquidem Tridentinorum oraculorum interpretes & hyperaspistes Andradius, ex perperam intellecto Ieremiae vaticinio (de nova lege non charta; sed cordi inscribenda) longè aliam eorum rationem esse negatur: Ideò in eius complicumque ipsius gratiam Evangelicas & Apostolicas cum historias tum epistolas percurrentes, demonstravimus, ipsi Spiritui sancto (inde à synodali epistola Hierosolymis perscripta, & pseudodoctorum sermonibus, quos ab Apostolis non acceperant, opposita) visum fuisse, ut post-

at postquam haecenus Novi Testamenti doctrina aliquan-
diu concionibus propagata & miraculis confirmata fuerat,
ij debinc, per quos salutis dispositionem cognovimus, Evan-
gelij doctrinam, quam haecenus praeconia verant, per Dei
voluntatem in scripturis traderent, fundamentum & co-
lumnam fidei nostra futurum.

VII.

Hacq; occasione luculentissima quaedam Ecclesiastico-
rum etiam patrum suffragia subjunximus, quibus summa-
tim asseruerunt, omnino, ne vel in dogmatibus vel in mo-
ribus impingeremus, opus fuisse ea, quae literis constat ad-
monitione, de qua quicquid auctoritatem non habet, eadem
facilitate, contemnatur, qua asseritur: praesertim quia in
ijs, quae aperte indidem posita sunt, omnia inveniuntur,
quae continent fidem & mores vivendi, nec quidquam de
obscuritatibus alicubi inveniatur, quod non planissime di-
ctum alibi reperiat.

VIII.

In QVARTA disp. ab haecenus elaboratis genera-
libus fundamentis peculiariter ad primi, & de canonica-
rum scripturarum receptione tractantis decreti examen
assurreximus, memori mente reputantes, non solum vulgo
papasellos fabulari, canonicos scripturae libros ab alicujus
concilij canone dictos, canonicam suam auctoritatem Eccle-
sia acceptam ferre: Sed & Tridentinos quoq; eos omnes, qui
non quoscunq; sacri codicis libros cum singulis suis partibus,
prout in Romanam synagogam leguntur, pari pietatis affectu
suscipiunt, anathematis fulmine percellere.

IX.

Ideo ad hanc tyrannidem regressimus, praeterquam
quod ex scripturis deductum Ecclesiastici canonis nomen,
quidquid de auctoritate & perfectione scripturarum a no-
bis dicitur, efficacissime probet: canonizandi insuper au-

A 3

toritatem

toritatem originaliter Deo inspiranti, & Dei hominibus Spiritus sancti impulsu scribentibus transscribendum esse: Idque propter sicut primitivam, ita multo magis hodiernam quoque Ecclesiam, non ut magistram, sed ut ministram, testem & custodem accedere oportere, quae nullos libros, propter quorundam contradictionem non consentientia Apostolicae autoritatis testimonia habentes, pro ἀναμφιλέκτως καὶ ὁμολογητέως ἐκδηκτικῶς & ad Ecclesiasticorum dogmatum confirmationem sufficientibus scripturis reputare ausit.

X.

In QUINTA disp: circa sequentem alterum canonem deprahendentes, in vernacularum versionum, Hebraeorum item Graecorumque fontium fraudem concludi, veterem translationem pro authentica habendam, nec quovis praetextu rejiciendam esse: oppositam partim Ecclesiae praxi monstravimus, omnino licere omnibus, quorum interest salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire, die nocteque in vernaculis Biblijs meditari: partim vero adductis multiplicibus interpretum erratis, librorumque sphaematis ostendimus lutulentos veteris versionis rivulos limpidis originalium linguarum fontibus haudquaquam praefereandos esse.

XI.

Consimul autem quoniam idem canon (decernendo nemini scripturam contra sensum, quem sancta mater Ecclesia, aut unanimis patrum consensus teneat, interpretari licere) Babyloniam illam implicitae fidei servitutem, & ex Pontificis scrinio expectandam intelligentiae scripturarum pratoriam dictaturam insidiosè nobis insinuat: ea propter quomodo omnis dictorum scripturae intelligentia in Spiritus sancti scrinio, scripturis videlicet



delicet sacris scriptis (si modo verborum ἑμφασίς, textus περὶ σαφείας & fidei ἀναλογία attendatur) explicantibus, ab interpretibus quari & inveniri debeat, monstravimus.

XII.

In *SEXTA* disp: quandoquidem lucifuge scripturarum patres nostri, vel ne depravatis etiam contortisq; scripturis satis fidentes, sine scripto Traditiones quoque parietatis affectu suscipiendas præcipiunt, & ex hac πανοπλίᾳ omnia sua dogmata, extra & contra scripturas humanitus inventa, propugnare satagunt: ideo apostatarum suarum πατροπαράδοσων cum Apostolicis δεσποπαράδοσων collationem instituire exorsi sumus.

XIII.

Docendo scilicet orthodoxos patres scripturis traditiones non ἀντιδιηρημένως opponere, quando primum ea, quæ ab Apostolicis viris vivâ voce tradita, postmodumq; scripta, vel τῶν ἁγίων ἁποστόλων σύμφωνα fuerunt, traditionum titulo insigniunt: secundo quando Ecclesiasticum sacri canonis testimonium & custodiam eodem nomine designare gestiunt: tertio, quando in conflictu cum hostibus (in scripturarum accusationem, ubi ex illis arguuntur, se convertentibus) non ad scripturas provocari posse, sed veritatis traditionem fidei articulis comprehensam apprehendendam esse, largiuntur: quarto, quando itidem adversariorum importunitate adacti, circa interpretationem quoque provocant ad traditiones, de sensu scripturarum unâ cum textu in primitiva Ecclesia depositas, & ad sua usq; tempora sine fæctione custoditas.

XIII.

In *SEPTIMA* disp: idem idem inculcavimus, quomodo

do sancti patres nō cum scripturis aduerso Marte traditiones committant, quando quinto ea dogmata quae in scripturis quidem continentur implicite, quamvis totidem literis ac syllabis explicite non dicantur, traditiones nuncupant.

XV.

Quando item sexto antiquitatis testimonia (ut ij, qui putant sanctos patres aliquid dicere, admoneantur, quomodo Catholici antistites ante nova hareticorum vaniloquia eloquia divina secuti sint) traditionibus annumerant: Et quando septimo vetustos ritus Ecclesiae, per Christianam libertatem, juxta scripturarum sanctiones, ad εὐχρημοσώκηρ & οἰκοδομίαν, citraque necessitatis, cultus & meriti opinionem institutos, pro Apostolicis traditionibus reputant.

XVI.

In OCTAVA disp: autem ad eas denique traditiones delapsi sumus, quae licet nec ἐκγραφαί, nec σύμφωναι sint sacris literis, pari tamen cum illis reverentia suscipere Romanenses precipiunt: addiscentes, inde semper ab Apostolorum etate earum ope falsa dogmata fuisse sparsa: iisdem pios quoque doctores fuisse deceptos: sub earum titulo multa ex adulterinis scripturis fuisse allegata: in ipsarum catalogum obscuriorum rituum origines fuisse relatas: & sub hoc integumento Montanisticas cum primis nenas in Ecclesiam fuisse inuectas.

XVII.

Donec tandem sub Antichristi regno hujus δεισινουμοσίου & επιτομῆς adeo amplificaretur, ut quicquid in Sanctorum Legendis & suppositiis scriptis de purgatorio, missa, indulgentiis, sexcentisque alijs impietatibus spargeretur, pro Apostolicis traditionibus per anathematis fulmen obtruderetur, si vel maxime Ecclesiarum matrices nec apicem de iisdem novisse certo certius constaret.

XVIII.

In NONA disp: transeuntes ad quinta sessionis decretum, de peccato originis promulgatum, quoniam, juxta iniquitatis mysterium, ab Andradio proditum, Tridentini vesperationes propriam hujus peccati rationem consulto silentio involvere, & damnatâ Lutheranorum sententiâ, aliâs unicuique opinandi licentiam integram esse voluerunt: Ideo cum scholasticorum, tum Jesuitarum blasphemâ opinionem in apricum protrahendo, compertis sumus, eos originalem labem non etiam positivum, sed privativum duntaxat malum agnoscere, quod expresso precepto nullibi vetitum, ante & post lapsum nature sit conditio, quæ quamvis ad peccandum (nisi frenetur) inclinet, per se tamen vel planè nullam, vel admodum exiguam peccati rationem habeat.

XIX.

Cui opinioni ex diametro nos opposuimus nostrarum Ecclesiarum definitionem, quâ peccatum originis contendimus esse carentiam justitiæ originalis, junctam cum cecitate mentis, aversione voluntatis & rebellionem ceterarum facultatum, quorum gratia homo legis transgressor & damnationis reus est & permanet, nisi fiat remissio propter Christum: Hancq; postmodum definitionem certissimis sacrarum literarum oraculis ita communi vimus, ut Pontificiæ dehinc objectiones non tam operosam refutationem, quàm ociosam repetitionem efflagitarent.

XX.

In DECIMA disp: dictæ sessionis alterum canonem de reliquiis peccati originalis, sive de renatorum concupiscentia examinavimus, & deprehendimus consiliabuli hujus patres nugari, per Baptisma tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habeat, adeo, ut concupiscentia residua, & ad agonem relicta, licet ex peccato

B

cato

cato sit, & ad peccatum inclinet, quin etiam à D. Paulo peccatum disertè nominetur: Quia tamen Tridentinis hisce furijs ita placuit, per se & ex se, nec peccatum dici mereatur, neq; non consentientibus obsit, sed ysdem potius legitime decertantibus ad coronationem prosit.

XXI.

Ceterum nos ex scripturarum & orthodoxæ vetustatis mente constanter asseruimus, planè statuendum esse, quamvis in statu renascentiæ, originalis culpa formalis reatus credentibus non imputetur; materialem tamen & originis simul & semel non tolli, sed per carnis mortificationem jugiter abotendam remanere. Inde q; Tridentinorum præcipuis objectionibus sufficienter discussis: Tandem appendicem quoq; hujus sessionis, virginem Mariam ab originis peccato immunem prorsus constituentem, ex sacris literis & patrum testimonijs prodigiöse vanitatis ream peregrimus.

XXII.

In V N D E C I M A disp. circa sextæ sessionis initium animadvertimus, quomodo male-concialiati nostri patres, quamvis speciosius concessissent, gentes per vim nature à peccati servitute liberari haud posse; eum tamen, qui opera justificationem antegressa verè peccata esse dixerit, anathemate feriendum esse duxerint.

XXIII.

Quà ratione, juxta Andradianam præsertim expositionem, oppositum in appposito stantes, & heroicis gentiliū motibus per Philisophiæ ministerium docendam discendamq; justificandi vim haud quidem obscure; satis tamen impurè adscribentes, Theologiæ principis erudiendi venerunt, quidquid ex vetustate literæ & non ex fide est, id omne peccatum esse Deoq; displicere: ad-
ditâ

Adiā brevi confutatione argumentorum, quibus impietā
si huic patrocinari pro nullo piaculo ducunt.

XXIII.

IN DVO DECIMA disput. de arbitrij libertate a-
cturi, post premissam ἀγορὴ μὴ ζῆτῶμεν adstrictumq; sta-
tum ad verè spiritualium actionum incoationem, obser-
vavimus, Concilij sententiam, Andradij grandiloquen-
tiā explicatam, esse hanc, quod liberum arbitrium sit po-
tentia naturalis, per peccatum ita constricta & debilita-
ta, ut per se quidem nihil in divinis efficiat: si tamen per
supervenientem gratiam constrictiois vincula rumpantur,
& debilitata vires roborentur, jam assensione propria
cooperetur Deo excitanti, sicq; ad obtinendam justificatio-
nis gratiam se preparat ac disponat.

XXV.

Nos contra omne nostrum arbitrium ante conver-
sionem non effectivè, sed subjectivè duntaxat; post con-
versionem autem cooperativè demum divinae gratiae con-
currere contendimus: & quomodo Tridentini Alastores
in palliandā suā falsā, damnandāq; nostrā verā doctrinā
equivocationum fascino imperitioribus imponant, per-
spicue exposuimus.

XXVI.

IN DECIMATERTIA disput. perreximus ad
articulum de Iustificatione, & protestati de injuriā, quā
adversarij renovationis penitus neglecta nos insimu-
lant, propriam dehinc vocis justificandi in hoc cardine
significationem (quam penes cum remissione pecca-
torum & imputatione justitiae Christi coincidit) contra
Tridentinorum φλυασιᾶς de nova qualitatis infusione
vindica vimus.

B 2

Inde q̄

XXVII.

Indeque nostra confessionis demonstrationem proximius accedentes, ostendimus, quomodo sacra litera justificationem nostram, cum infidelium tum fidelium operibus ac meritis derogatam, arrogant soli gratia & misericordia divina, quae propter reconciliationem & meritum Christi, fide apprehensum, coram Deo valentem justiciam omnibus credentibus imputet gratis, excluso videlicet (quamvis non à justificata personâ, à justificationis tamen foro) donis per gratiam, sive renovationis & sanctificationis beneficijs.

XXVIII.

In DECIMA QUARTA disput: plenioris ac planioris definitionis ergo declaravimus, istam justiciam, in quam omnem fiduciam collocare, & quam irascenti Deo opponere debeamus, non in impurâ imperfe-ctâq; nostrâ obedientia; sed in purissimâ perfectissimâq; Christi satisfactione, juxta numerosissima & ponderosissima & scriptura & antiquitatis testimonia, querendam ac inveniendam esse.

XXIX.

Sicque vicissim compertimus, scripturis consentaneae hujus articuli sententiae ex professo & ex diametro opposita esse Tridentina decreta, quibus multa dicunt anathemata omnibus, qui justificationem definiunt solâ remissione peccatorum & imputatione iusticiae Christi: omisâ videlicet renovatione, & justiciâ DEI, quâ nos justos facit, quamq; Christi merito partiam, & justificandis insusam, unicam & formalem justificationis causam, esse vitiligant: putidis scilicet & rancidis nonnullis sophismatibus adhibitis, quae tamen citra molestiam Spiritus sancti gladio jugulavimus.

XXX.

In DECIMA QUINTA disput. observavi-
mus, quo pacto adverse partis paterculi non modo rur-
sus decreta sua divinis oraculis adversâ fronte obje-
runt: sed & per additamentum, Scholasticorum figmentum
de condigni merito ex orco revocaverint: dum partim
de justificationis incremento solliciti, secundam suam
justificationem & aeternam salutem per Dei & Ecclesie
mandatorum observationem promereri blasphemârunt:
partim verò circa justificationis preparationem occu-
pati, fidem per modum dispositionis initium duntaxat
justificationis esse scriptitârunt, ad quod, si quis Christum
perfectè apprehendere, eidemq; plenariè inseri cupiat, spes
& charitatis accessione opus habeat.

XXXI.

Istâque occasione pervenimus ad explicandam ju-
stificantis fidei naturam, quam Sacro Sancta Trinitatis
decreto, & divinorum oraculorum calculo, non ad fun-
damentum preparanda; sed ad organum apprehendende
justicie deputatam, ratione noticia, assensus, deside-
rij & fiducia sua, principalissimiq; objecti ergò, versa-
ri docuimus circa promissionem remissionis peccatorum
credentibus approprianda gratis, propter Christi me-
diatoris liberalitatem, exclusâ omni justificandorum di-
gnitate.

XXXII.

In DECIMASEXTA disput. eandem fidem non
cum Antichristi mancipijs desperabundâ dubitatione;
sed cum Christi Apostolis indubitatã περσοιδήσει, πληρο-
φορίᾳ καὶ παρρησίᾳ metiendam & definiendam esse e-
vicimus.

B 3

Nihil

XXXII.

Nihil quippe obstantibus Tridentinorum ratiunculis, quibus vel disparatarum questionum confusione, vel mendacium calumniarum admixtione, deplorata sua causa magnam quidem verisimilitudinis speciem conciliare audent, ne minimam tamen conciliare valent.

XXXIII.

Tandem in DECIMASEPTIMA disputatione ad lydium scripturae lapidem examinavimus, quae pessimam fide de necessitate bonorum operum, ad promerendam salutem & ad praegravandas nostras Ecclesias acquisiverunt: Inprimisque id quod circa delectum vere-bonorum operum de mandatorum Ecclesiae observatione adsperserunt, penes Andradij dilucidationem, de Antichristianorum statutorum dictaturam, quam Romanus Pontifex in Ecclesia tanquam Deum se ostentare, imo contra Deum Deorum grandia loqui haud erubescat, intelligenda, sicque ad insimam inferni voraginem ableganda esse, asseveravimus.

XXXV.

Eodemque ad extremum faceffere jubentes, quidquid de perfectione, quidquid de meritis bonorum operum, non tam Prophetico & Apostolico, quam Pharisaeico & iusticiario stilo declamitant: repetita examinationi primae partis concilij Tridentini cum Dn. D. Chemnico nostro colophonem addere volumus: Deum precati, ut semel agnitam repetitorum repetendorumque articulorum lucem, procul abactis Pontificiorum tenebris, ad novissimam salutis auroram usque nobis illucescere permittat,

A M E N.

F I N I S.

AD HUMANISSIMUM
IUXTA ET DOCTISSIMUM
RESPONDENTEM Amicum.



Incte caput meritum nitida, IORDANE,
NE, corona

O amor, & Patria spes generosa mea:
Augia stabulum mihi depurgasse videtur,
Et propè in humanas sustinuisse operas,
Qui tantam errorum voluit succidere Silvam,
Quam servit cascis Roma superba libris.
Roma, tot impuris hodie stipata SVITIS,
Quot vel Turcarum sufficerent Furijs.
Hi sunt, CHRISTE, tuum queis regula Lesbia
In lucè vicio queis sine prodit Homo. (verbū ē)
Hi sunt, celestem quibus anticipare favorem,
Et facile est superas posse merere domos;
Pluraq; ad hanc aliquot sexcenta, aut millia for-
Explicat hac parvo qua tibi charta sinus. (mā,
Hac quia tā scite mihi, Amice oculissime, junctim
Ingenij runcas cum sicelice tui,
Quis non in Fama Templo te, quaeso, locaret,
Et dignum illustri judicet ellogio?
Maecte animo, IORDANE, tuo. Sic itur ad arcem,
Quam pandit Pietas, quā tibi pandit Honos.

Nicolaus Romingius Culmb.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405





17470c

Retro

VD17







327
18

...TIMA,
...iarum,
...I TRI-
...PARTE
...CHEMNITIO
...m insti-
...p:
...o,
...SNERO,
...ffore publico, in
...Theologico
...pro-
...S JORDAN,
...cus.
...embris.
...snerum.

